

**De scirro ventriculi nonnulla : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Julius Herschel.**

Contributors

Herschel, Julius.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/exrq2fh8>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16

DE
**SCIRRHO VENTRICULI
NONNULLA.**

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS HERSCHEL

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

J. HANGKAMER, med. et chir. Dr.

S. FREUND, med. et chir. Dd.

B. HELLWITZ, philos. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.



„Multumque adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula paecludetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi.“

VIRO

CLARISSIMO, ORNATISSIMO, HUMANISSIMO

A N T O N I O R E I N,
DOCTORI PHILOSOPHIAE, PROGYMNASII CREFELDENSIS
RECTORI, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM
SODALI,

OPTIME DE SE MERITO

NEC NON

Илья Фёдоров
издано в 1770 году
из типографии Ильи Фёдорова

столе 22 30 28 29

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

IN PERPETUUM SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

QUALESQUE PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Est hic morbus, de quo acturi sumus, degeneratio glandularum succum gastricum secernentium membranarumque easdem foventium circa cardiam praecipue pylorumque in Scirrum.

In hujus morbi decursu quatuor licet discernere stadia:
a. stadium praecursorium, b. stad. inflammatorium, c. stad. scirrhosum, d. stad. carcinomatosum.

I. Stad. praecursorium. Flatulentia ventriculi continua, pyrosis; alvi obstipationes cum diarrhoeis alternantes; ptyalismus acidulus, parum copiosus; sensus oppletioris epigastrii periodicus; praecordiorum tensio sine dolore ad attatum; fastidium praecipue ciborum e carne; dolores primum intra mensis circiter spatum, dein tertia aut secunda quaque septimana redeuntes spastici.

II. Stad. inflammatorium. Sensus oppressionis circa regionem scrobiculi cordis hebdomadis spatio recurrentes; dolores spastici cum majori simul ventriculi flatulentia; sensus corrosionis, praecipue ad ventriculi fines, ventriculo vacuo adactus; sensus ponderis gravioris post assumptos cibos, saepius quasi lapidis ventriculo immersi; dolores prementes, obtusi, in dies aucti, insultibus semper intermittentibus, certo temporis spatio recurrentes, mox decrescentes sub ructibus,

vomituritione, nec raro post ipsum vomitum liquoris acidi fere evanescentes; ructus, ptyalismus, sensus oppletionis in regione epigastrii, tensionis in regione praecordiorum continuo adauerti; partes ventriculi tam anteriores quam posteriores sub attactu dolentes; appetitus plerumque prostratus, aut species picae; cibo sumpto et ventriculo magis impleto in regione scrobiculi cordis dolores continui, trahentes, laciniantes, in profundum et hepar versus tendentes. In feminis menstruorum accedunt anomaliae, cephalaeaque gastrica sic dicta. — Neque hoc, neque stadium praegressum certo temporis spatio circumscribi potest: nunc per aliquot hebdomades, nunc vero per duos tresve annos perdurat.

III. Stad. scirrhosum. Symptomata stadii antegressi nunc omnia intensiora fiunt typique periodico, quem prius servabant, magis magisque perditio, in continua abeunt, cyclum vero quotidianum retinent. Dolores illi, quos diximus, obtusi, prementes, typici nunc figuntur, data tamen causa cibis irritantibus captis, potu spirituoso, alvi obstipationibus et perfrictione facillime adaugentur et contractiones ventriculi spasticas excitant. Ardor ille ventriculi, qui pyrosis dicitur, alias nonnisi cibis acribus, acidis pinguibusve, aut potibus austoris ortus, nunc sine solitis hisce causis evenit et per plures dies persistit. Accedit praeterea digestio laesa, dolor acer in regione epigastrica, fixus, vomitu exacerbatus; vomituritio sub ructibus acidis; vomitus frequens, niger, nullo medicamento sistendus; alvus nonnunquam niger; sensus gravabilis ex pondere tumoris; intumescentia regionis epigastriacae externe percipienda; vultus cachecticus, scirrho laborantibus proprius, vix describendus. Appetitus aut nullus, aut

depravatus; metu saepe dolorum aeger ne blandissimos quidem cibos ingerere audet. — Sub cardia morbose affecta non raro lienis et vasorum brevium turgescencia animadvertisit. In illo tantum casu, in quo affectiones hae simul ad sunt, vomitus huic stadio proprius quotidie recurrens, materiae subnigrae, acidulae, sanguini coagulato et oleo resinoso haud dissimilis, supervenit, quod quidem symptoma in paucis tantum casibus observatur, sicuti cardiae, scirrhi in universum valde raro obveniunt. — Sub pyloro scirrhoso post pastum sensus ponderis in regione epigastrica, borborygmi, dolor circa umbilicum vehemens; vomituritio, qua durante salivae effluxus ex ore copiosus. Morbo provectione tensio regionis epigastricae major, ructus oientes; alvus rara; vomitus frequens, ex quovis cibo ingestu; urina nonnunquam icterica; materies vomitu ejecta acris, quasi fermentescens, flocculos casei referens, interdum nigra instar sedimenti coffeae. Febris denique hectica non raro jam hoc in stadio cum morte supervenit. —

Hoc stadium plerumque per menses duos, nec raro vero sub conditionibus felioribus, quae causarum in hunc morbum efficaciam imminuunt, aut debita aegrotorum cura per menses decem ad viginti usque existit.

IV. Stad. carcinomatous. Scirrhi symptomata praegressa; vomitus frequentissimus blandissimi ipsius potus; eructatio puris foetidi, acris, ichorosi; dolores in regione praecipue ventriculi urentes; excretiones alvinae nigrae, pessime oientes, cum ichore mixtae; aegri quasi exsiccati manus summa; febris hectica ad vesperas intrans sub plantae pedum et palmae, manuum ardore, cute sicca, quasi mem-

branacea; lingua arida, aut subruba, aut leviter obtecta; sitis vehemens: respiratio ructibus vomituritionibusque repetitis intercisa; insomnia aegri vires extenuans, indeque non raro animi deliquia; sudores sub auroram faciem et praecordia occupantes, manibus pedibusque frigidis; sensus ponderis in regione epigastri fixus, orientibus tactu doloribus; spasmi secunda vel tertia quaque hora redeuntes, per pauca tantum momenta intermittentes. —

In illis casibus, in quibus pylorus penitus occlusus est, excretiones alvinae cinereae tantum enemata applicata sequuntur; interim tamen nonnunquam ex bilis acrioris connubio et ichoris irritamento viridiusculae, discolores et colliquativae.

Diagnosis.

Morbus hic haud ita facile dignoscendus medicos non raro fefellit, et tunc demum, quando de praesentia scirrhi, symptomatibus videlicet in ultimis praesertim stadiis manifeste apparentibus, simulque, de praegressis morbi causis certi sumus, dubium omne solvitur. Scirrus enim ventriculi non valde frequens est morbus, et eo facilis in errorem inducimur, illumque aut praeterimus, aut, quod creberrime fieri solet, cum ventriculi affectionibus variis, digestione laesa, concoctione depravata etc. confundimus. Hinc saepissime fit, ut morbus hic, auxilio plurium medicorum implorato, postremo adeo increcat, ut medicus, cui jam aeger sese tradit, malum ignorare non possit, praesertim cum videat medicaminum cohortem integrum ex gente tonicorum, amarorum, antispasmodicorum, purgantium, in cassum adhibitam fuisse. Quare morbos, quibuscum saepius confundi solet, hic enumera-

rare et quae diagnosin certiorem reddant signa exponere nobis liceat. Confunditur autem scirrus ventriculi: a. cum gastrodynia s. cardialgia, b. cum cardialgia flatulenta, c. cum hepatitide chronica, d. cum affectione pancreatis, e. cum pyrosi hysterica, f. cum haematemesi, g. cum affectionibus lienis morbos, et turgescencia vasorum brevium. Sed ab hisce morbis differt et quidem

a. a **gastrodynia**, in primo stadio, doloris incessu, nam gastrodynia praeter dispositionem ad spasmos universalem non semper post cibos assumtos certaque temporis spatia recurrit, ut in Sc. ventr. fieri solet; aegri porro gastrodynia laborantes in regione scrobiculi cordis, etsi quidpiam tensa, sive quidpiam dolente, extra paroxysmum dolore nullo corripiuntur, qui vero Sc. ventr. in partibus nonnullis regionis stomachi sub attactu vel pressione fortiore numquam deest. In gastrodynia paroxysmi spastici longe vehementiores quam in Sc. ventr.; appetitus in illa dejectus, fere penitus deletus; in hoc autem raro deest; in illa lingua plerumque obducta, sapor oris depravatus, totusque apparatus turbarum gastricarum adest; in Sc. ventr. lingua pura, sapor oris parum mutatus, vel tantum plus minusve acidulus, in illa vero amarscens; gastrodynia porro, si terminum ejusdem respicis, aut aegrum sub paroxysmo morti tradit, aut denique quiescit et remittit; Sc. ventr. autem, etiamsi dolores per vices silent, ulti progrederit, et reliqua symptomata supra enumerata parit.

b. a **cardialgia flatulenta** evolutione gasorum continua sub fructibus modo acidis, modo putridis, modo amaris; lingua obducta, sapore deleto, quae omnia in Sc.

ventr. plerumque non adsunt, aut saltem minus persistunt. Appetitus in illa prostratus, in hoc plerumque bonus, quamvis aeger metu dolorum subsequentium famem nonnunquam sedare non audeat.

Vomitus in cardialgia flatulenta aut omnino deest, aut raro tantum supervenit, et secundum naturam suam variat; in Sc. ventr. vero vomitus est periodicus, et certo temporis spatio, modo plurium dierum, modo septimanarum mensiumve plurium redit. Quum primum ille vomitus periodicus accesserit, durities, regio ventriculi sub attactu dolens, febrisque hectica malum concomitans, diagnosin certam sistit.

c. ab hepatide chronica, imprimis lobi sinistri, loco et sede dolorum, qui in hepatide magis versus hypochondrium dextrum et sub costis spuriis sese extendunt, in Sc. ventr. vero extra hypochondrium et infra costas spurias apparent. In illa lingua plerumque sordide flavescentes, sapor oris amarus, urina cutisque quales sub leviore ictero, spasmis ventriculi et vomitu aut deficientibus, aut signis ventriculi affecti contrariis. Cutis color ictericus nonnisi scirrho demum penitus evoluto apparet. Alvi quoque conditio morborum discrimen exhibet, nam in hepatide excrements dura, aut viridiuscula, subcinerea; sed in hoc faeces nonnunquam durae, nullius tamen coloris particularis.

d. ab affectione pancreatis. Hoc in morbo dolor sive intumescentia multo profundius tendit, magisque medullam spinalem versus, nec nisi sub attactu rudiori animadverti potest; in hoc morbo materies vomitu ejecta, neque particulis caseum referentibus, neque striis sanguineis intermixta est; neque coloris fusci, vel subnigri, ut sedimentum infusi fa-

barum arabicarum, sed potius bile tincta. In illa simul diarrhoeae colliquativae adsunt, nec non cutis icterica est, et ejusdem indolis urina. Sc. ventr. ceterum semper cum aliorum organorum, imprimis vicinorum, affectionibus conjunctum sese manifestare, diagnosinque certam perturbare constat. Ubi Sc. ventr. non simul urget, ab initio morbi contractio-nes ventriculi spasticae, quae in Sc. ventr. tamquam signa pathognomonica intervallis magis magisque abbreviatis appa-rent, desunt.

e. a pyrosi hysteriarum tam sexu quam aegrotorum aetate. Pyrosis ex affectionibus nervosis oriunda non obser-vatur nisi in feminis, aut in viris maxime hypochondriacis, in quibus functiones sexuales aut nondum absolutae sunt, aut non rite procedunt simul cum aliis hysteriae symptomatibus contemporaneis. In pyrosi in ventriculi regione numquam sub tactu animadvertisit dolor, uti in Sc. ventr. In Sc. ventr. ultimis stadiis permutatio fieri nequit, quia in locis affectis durities observatur, et aegri vomitu periodico cruciantur, quae symptomata omnia in pyrosi desiderantur.

f. ab haematemesi. Vomitus cruentus in haematemesi sub dolore subsequenti simultaneo in regione lienis et vaso-rum brevium vix ortus, brevibus intervallis repetitur. Ratio quoque vomitus hujus cruenti ab illa vomitus in Sc. ventr. differt. Vomitum sanguinis nigri pallor faciei subitaneus, tre-mor et pallor labiorum inferiorum, sapor oris subdulcis, sen-sus caloris in regione scrobiculi cordis et anxietas summa praecedunt; vomitum vero ipsum lipothymia modo brevior, modo diuturnior sequitur. In Sc. ventr. quae per os ejiciuntur, non sunt sanguis purus, sed tantum sanguinis coagulati

striae, parva solum copia in massa gelatinosa, acidula innatantes. Denique exitus morbi utriusque specie diversi sunt: haematemesis inter paroxysmum aut mortem provocat, aut in sanitatem, haemorrhagiis alius conditionis insequentibus, abit; Sc. ventr. autem tardo pede progreditur, in carcinoma prorepit et aeger, in stadio primo non sanatus, tandem febri hectica consumitur.

g. ab affectionibus lienis et vasorum brevium turgescientia. Affectiones hae hypochondrium sinistrum occupant, Scirrhus vero pylori magis hypochondr. dextrum; in illis regio pylori attactu non dolet, certe autem hypochondrium sinistrum dolorosum et tactu duriusculum. Plerumque etiam in hisce affectionibus lienis turgescientia et varices vasorum brevium observantur, nec non dolores supraorbitales, epistaxis ex nare sinistra. Adspectus aegrorum ipse inter eos, qui Sc. ventr., illosque qui affectionibus lienis laborant, diversus: in illis aegroti faciem hominis sani, genas rubicundas etc. prae se ferunt, nutritione non perturbata; vomitus merum symptoma.

Aetiology.

Causae Scirrhi ventriculi aut praedisponentes sunt aut occasioales.

Causae praedisponentes: 1) Sexus virilis, cum morbus hic in viris frequentior, virorumque vitae ratio eidem faveat. 2) Aetas provectior; quo provectior aetas, eo crebrior Scirrhus ventr., praecipue annum XL intra et LX. 3) Constitutio individuo propria, cacoehymica, in scirrhos etiam alios proclivis. 4) Labes haereditaria a parentibus, scirrho vel veneno quocunque inveterato, scrophulis, gonorrhoea,

syphilide, vel exanthematibus variis contaminatis. 5) Debilitas ventriculi, pyrosis, bradypepsia, dyspepsia quacunque ex causa protracta. 6) Animi pathemata varia, ira, invidia, vindictae cupiditas, amor infelix, moeror, sollicitudines aerumnosae. 7) Mentis occupationes nimiae et continuae, vita sedentaria, lucubrationes, unde debilitas, laxitas fibrarum, cruditas, macies, virium solutio. 8) Habitatio in locis humidis, demissis, exhalationibus noxiis corruptis. 9) Febres, crisi imperfecta judicatae, male curatae, aut neglectae, aut suppressae, vires pessum dantes.

Causae occasionales. Omnia hue spectant, quae aut mechanico, aut quocunque alio modo inflammationem ventriculi chronicam progignere valent.

1) Abusus remediorum purgantium, drasticorum, emeticorum et praecipue mercurialium, adstringentium, venenorumque quolibet ex genere.

2) Gastritis acuta in chronicam desiens, exsudatione in parenchyma ventriculi sensim indurescente, scirrum et carcinomā producente.

3) Congestiones ad ventriculum habituales, secretionibus organorum abdominalium aut imminutis, aut suppressis: veluti menstruatio, haemorrhagiae consuetae, haemorrhoides etc.

4) Quaecunque irritatione continua in ventriculum agunt: ut compressiones externae stropiis; vel corpora aliena acria, aculeata, ut ossicula, acus, capilli, ictus leviores saepius repetiti ad ventriculum, uti in textoribus, sutoribus etc.

5) Ingesta acria, salina, acida austera, rancida, flatulenta, obstipantia, avidius deglutita, non bene masticata, panis male coctus, aut calidus comestus; spiritus sic dicti

ardentes, empyreumatici; vina viliora, austera, vapida jejuno imprimis stomacho; cerevisiae male coctae, acescentes; abusus potus tepidi, theae, coffeae; succi vegetabilium recentes acres, acidi, praesertim malorum, pirorum et prunorum; cibi ex farina male praeparati, praecipue cum oleo aut butyro cocti; tincturae aromaticae, confecta dulcia etc.; alimentorum prava praeparatio, praesertim in vasis aeneis aut plumbeis, vel eorundem in his asservatio diuturnior; aër vaporibus noxiis, exhalationibus hominum et metallorum inquinatus; somnus in aëre impuro.

6) Metastases variae materiarum aut praedispositionum morborum aliorum ad ventriculum, utpote rheumatismorum, erysipelatis, scabiei, herpetis, ulcerum pedis praemature exsiccatorum, sudorum pedum et manuum consuetorum suppressorum, haemorrhoidum etc.

Exitus. Scirri ventriculi exitus triplex, nempe:

a. in sanitatem perfectam, b. in morbos alios, leviores, graviores, c. in mortem.

a. Exitus primus in sanitatem perfectam rarus, et nonnisi morbo tempestive cognito, curaque debita adhibita ad inflammationis chronicæ resolutionem, opitulante natura ipsa.

b. Exitus in morbos alios. Inflammatione quidem extincta, relictis tamen ventriculi degenerationibus dynamicis chymicisque nascitur debilitas, pyrosis; oriuntur spasmi secretionē muci adacta, qui subinde, attamen nonnisi in studio morbi primo, febri vernali, ulceribus pedum, haemorrhoidibus etc. tolluntur; aut in morbos abeunt, unde primum

nati, in primis cutaneos, scilicet erysipelas, herpetem, scabiem etc., in paroxysmos arthriticos etc.

c. In mortem, quae vel saepissime cruciatibus scirrhi ventriculi finem ponit, et quidem:

1) viribus systematis nervosi et vasculosi sensim exhaustis, lipothymiis, sub quibus maxima horum aegrotorum pars perit, et plerumque quidem jam in tertio seu scirrhoso stadio. Morte nempe appropinquante lingua prius jam per aliquot dies fuscescente, sicca, rimosa, fissa; pulsu parvo, debili, frequentissimo, vix numerando; sudoribus viscidis extremitates frigidas tegentibus; deliriis levioribus medium sub noctem intrantibus, aphthis in faucibus atque oesophago comparentibus, lipothymiae vitam miserorum placide solvunt.

2) Convulsionibus, quae ex nervis ventriculi ortae, primo sistema nervosum ganglionum occupant, tum ad cerebri sistema nervosum propagantur, et paralysi systematis nervosi aegros morti tradunt.

3) Coarctatione vel ileo, sub vomitu nervorum vires et sanguinem vasorum exauriente.

4) Melaena accidente, corrosionis majoribus venarum ramis.

5) Inedia, cardia et pyloro penitus occlusis sub fame intolerabili.

6) Variis hydropsis speciebus secundariis etc.

7) Inflammatione nova vehementiori in gangraenam et membranarum ventriculi perforationem terminata.

Prognosis.

Primo in morbi stadio aegri a medicis raro auxilium petunt; neque raro vero a medicis ipsis aut non cognoscitur

morbus, aut parvi aestimatur, aut pro pyrosi, intestinorum debilitate, flatulentia vel coctione laesa habetur, unde remediis eccroproticis, vel irritantibus, roborantibusve curatur. Nemo infitias ibit, morbum in prima periodo characterem parum determinatum, neque in casibus omnibus eundem, hinc fallacissimum, prae se ferre. Primum morbi stadium non nisi ex accurata anamnesi morborum brevi ante praegressorum suspicari possumus, quum in stadio inflammatorio accurata tantum atque sollers regionis ventriculi exploratio et symptomatum reputatio diagnosin definitam exhibent.

Sed hoc quoque in stadio exempla prostant morbi non rite cogniti, quia paroxysmi periodici plerumque non ad morbum spectare videntur plerisque: hinc pro spasmis ventriculi habentur, et qua tales tractantur, aegri quoque, paroxysmis paullatim adactis, statui huic non normali aliquantum assuefacti, dolores per intervalla paroxysmorum periodicorum vehementissimorum ingressos aut parvi aut nihili ducunt. Tali modo aegroti remediis aut nullis adhibitis, aut non convenientibus, in periodum secundam, in qua dolores permanentes, fixi, brevioribus intervallis redeunt, progrediuntur, ut sanatio perfecta nulla ratione exspectari possit. Quibus rebus enumeratis atque perpensis, prognosis constitui potest; quae si non adessent, tam infausta non foret, nam in periodo prima non tam difficilis existeret sanatio, praecipue si causam morbi cognitam aut removere, aut morbum primarium denuo restituere valeremus. Sed quum primum periodus secunda intraverit, sanationem plenam exspectare amplius non licet.

Ceterum prognosis pendet:

- a) ab morbi stadio: in stadio tertio et ultimo nulla salus;
- b) ab individui aetate: quo proiectior aetas, eo pejus praesagium;
- c) ab aegri constitutione: quo debiliores aegroti eo minus sanitas plena exspectanda;
- d) a causarum natura, et earum faciliori difficiliorive sublatione: quo facilius causae removentur, tanto certius sanatio speranda;
- e) a sede et complicatione inflammationis, ejusdemque propagatione;
- f) a sexu, alimentis, habitatione, vivendi ratione, quae omnia maximi in praesagiendo exitu momenti.

Sectio cadaverum. In aegris stadio scirrhii perfecti defunctis secundum mali sedem, aut in cardia, aut in pyloro, partes constituentes et circumiacentes valde mutatae reperiuntur; cardia in massam homogeneam, vere cartilagineam mutata, quae ventriculi orificium superius ita occlusit, ut cibis in stomachum non amplius descendantibus, aegri fame cruciati perirent. Quae membranarum ventriculi degeneratio ad dimidium tantum pollicis oesophagum versus, nec ultra, ascendens et semper fere usque ad ventriculi fundum descendens observatur. Si autem locus morbi in regione pylori est, membranae ventriculi rarius in massam cartilagineam, sed potius in materiem inaequalem, compactam, tuberosam et in superficie externa venis turgidis cinctam, in superficie autem interna ex cinereo albescientem, plures lineas, quin imo pollices aequantem, quae in orificio ventriculi inferiori crassior, fundum vero versus tenuior apparent, inveniuntur mutatae. Non raro autem fundus ipse venis varicosis inter-

textus, transitusque ex stomacho in intestinum duodenum ita coarctatus est, ut vix penna anserina modica transmitti possit. Membrana ex peritonaeo dein incrassata, cartilaginea, finaequalis, non translucida; tunica muscularis sedes mali vera, et in tunica mucosa villosa glandulae lymphaticae et pituitariae, sicuti inflammatio praegressa et venae turgidae conspiciuntur. In cavo abdominis exsudatum fluidum ex rubro flavescentia, quod durante vita nonnunquam hydropem ascitem producit; in cavo vero ventriculi ex rubro fuscens, sedimento infusi coffeeae haud dissimile, modo minore, modo majore quantitate passim reperitur.

Scirrhi pylori cum degenerationibus partium vicinarum et cognatarum chronicis, scirrhosis simul conjuncti esse solent. Haud mirum itaque, si pancreatis, hepatis, glandularum meseraicarum indurationes, ventriculi cum hepate, colo transverso, raro cum peritonaeo externo et diaphragmate, concretiones comparent. Ventriculus ipse modo insigni parvitate, contractus, compactus et rigidus; modo magnopere extensus, situ formaque irregularis. Plerumque autem eundem valde extensem, et ad hypochondrium sinistrum cum extenuatione membranarum fundi simultanea dilatatum invenimus. Omentum tum et non raro, valde imminutum, tum vero praegrande et pluribus in locis adcretum, rubre flavescentia aut sordide fuscum, colore subinde ex rubro subnigro imbutum, glandulis granulosis et in massam steatomatosam degeneratis animadvertisit. Neque raro stricturae intestinorum inveniuntur. In feminis tales quoque destructiones in ovariis simul reperiuntur. Si aeger inflammatione ventriculi accessoria, acuta, gangraena terminata periit, praeter signa enumerata illa

quoque gangraenae, maculae nigrae nempe, perforationes, color membranae ventriculi intimae roseus, in primis vero massae induratae steatomata referentes, ex peripheria centrum versus reti vasculoso intertextae comparent, quod praecipue nodo tuberoso perscrosso conspicitur. Si aegroti in stadio carcinomatoso seu scirrhi exulcerati morte abrepti sunt, tum aut symptomatibus haematemeseos, aut melaenae, aut virium denique exhaustarum (omnia enim ingesta vomitu rejiciuntur) subsequente paralysi universali perierunt, atque tunc in casu priore sanguis ex rubro nigrescens in ventriculo summe extenso, idemque in intestinis tenuibus, passim inaequaliter aëre contento dilatatis, sed magis dissolutus, viridescens, in intestinis autem crassis specie concrementorum compactorum, tenacium, piciformium inter valvulas inhaerens parietibus inventitur. Quo in casu lympha exsudata, et liquor puriformis in cavo abdominis, glandulae meseraicae induratae, intestina vacua, aëre inaequaliter distenta, tumores nonnunquam scirrhosi circa intestini coeci et coli parietes; bilis liquidae exigua copia in tubo intestinali, praeterea concretiones supradictae hepatis, omenti intestinalorum cum ventriculo sese manifestant. Interdum omentum ita imminutum, ut vix adverti possit; in plurimis casibus vero sordide obductum, tuberculis steatomata referentibus munitum, cum colo transverso aut peritonaeo concretum, aut per ventriculum maxime extensem sinistrorum plerumque dislocatum, hunc cum hepate concretum, hepar, in primis lobum hujus sinistrum induratum, tuberculis parvis, non raro exulceratis refertum, et hepar ipsum exulceratione correptum invenimus.

In aegris cum diathesi scrophulosa pulmonum quoque,

cordis, hepatis et cerebri tubercula subinde conspicuntur. Substantia autem ventriculi ipsius utroque in casu tali modo mutata subinde reperitur.

Circa pylorum membranae ventriculi omni modo degeneratae totoque contextu immutatae; tubercula et excrescentiae illum inaequaliter cingentes, modo rubicundae, sordide flavescentes, modo albescentes, plerumque versus peritonaeum extensae; singulis tantummodo in casibus nonnunquam uni alterive horum tuberculorum ulcus revera fungosum, carcinomatousum, in cavum abdominis hians, insidet. Aliis vero in casibus talia ulceræ in ventriculi ipsius cavum vehiscunt, et liquor hic subniger, foetissimus, ab aegris vomitu ejectus, qui in ventriculo quoque post mortem reperitur, ex hisce ulceribus, aut ex vasis brevibus quacunque ex causa erosio ruptisve oriri videtur; nemo interim negabit, liquidum nonnunquam tamen post mortem observari, ulcere tali nondum evoluto aut in ventriculi cavum aperto. Tubercula haec, quod attinet ambitum externum dura, cartilaginea, hoc in stadio plerumque liquefacta in partibus internis pus ichorosum, sanguine intermixtum includunt, quorum maxima et solidissima in regione pylori, ventriculum medium versus imminuta, rariora et pure minus destructa observantur. Intestinum duodenum raro tantum hac degeneratione liberum, varices parvas in carcinomatis halone, excrescentias fungosas jamjam ortas in locis exulceratis non raro invenies. In feminis ceterum ovariorum inflammatio simultanea, induratio, destructio, uteri incrassatio, inflammatio, scirrus, carcinoma; in viris glandulae prostatæ, et nonnunquam glandularum meseraicarum induratio, quae in feminis rarius appetit, conspicuntur; ple-

rumque in feminis uteri et ovariorum degeneratio simul occurunt.

Therapia.

A. Indicatione causali, B. Indicatione morbi, C. Indicatione exituum nititur.

A. Indicatio causal is. Quatenus nocentia externa spectat, negativa solummodo est, petitque semotionem omnium illorum, quae morbum huncce procreare valeant, qualia sunt: potus spirituosi alimentaque quantitate et qualitate peccantia; ictus leviores iterati; vivendi ratio huic morbo favens, uti in textoribus, sutoribus, feminisque acu victum quaerentibus etc.

Attamen etiam positiva illa dicenda est in his casibus, in quibus scirrus ventriculi ex aliis morbis, ut ex scabie retropressa, rheumatismo, arthritide chronica, herpete repulsis, natus est, et requirit praesentem horum morborum restitutio nem, quae fit in primis balneis tepidis cum hepate sulphuris. Omnia sulphureta, aut, quod praestat, unguentum ex tartaro emetico, regioni ventriculi infrectum, et tam diu continuatum, usque dum magnae inde formentur crustae, ad quas solvendas cataplasma emollientia, ut ad suppurationem per aliquod tempus sustentandum unguentum sabinae et alia talis indolis conducunt, optime commendantur. Morbo ex ulceribus vetustis male exsiccatis orto, haec ulcera illico revocanda sunt unguento Autenriethii ab initio in abdomen, tum paullatim illam magis regionem versus, cui ulcus prius insederat, inficto, ibique ulcera artificialia per longum tempus aperta servanda.

In morbo ex congestionibus ad ventriculum habitualibus

et suppressis remedia tantum topica adhibenda sunt et quum primum indicationi morbi satisfactum sit, tum demum per stomachum in abdomen et sistema uropoëticum agere licet clysmatibus cum extracto aloës ad gr. iij—jv, aut vaporibus tepidis ad genitalia directis, aut frictionibus cum oleo terebinthinae, ad utriusque femoris latus internum. Remedia haec tunc tantum administranda, quoniam, ab initio congestiones exinde facile augerentur.

B. Indicatio morbi est ejusdem sanatio aut lenimen.

Cura sanitatem perfectam restituere intendens, sensibilitatem ventriculi morbose adauctam imminuere, pyroseos evolutionem nimiam removere, et concoctionem partium per lympham exsudatam prohibere tentat: cui indicationi nonnisi in prima morbi periodo locus esse potest.

Ad sensibilitatem ventriculi morbose adauctam imminuendam, narcotica remedia, at nequaquam opium, alvum retardans, sed potius cicuta, hyoscyamus, belladonna propinanda sunt. Ad pyroseos evolutionem removendam concretionesque praecavendas, remedia porrigenda sunt, quae expansionem in ventriculo augent. Huic indicationi kalia, liquor kali carbonici etc. respondent. In aegrotis potui spirituoso indulgentibus cum kalibus quassiam conjungere praestat. Humulus lupulus quoque et extractum nucis vomicae jure optimo commendantur. —

Irritabilitate ventriculi morbosa hisce remediis imminuta vel exstincta, remedia, quae secretiones renum et abdominis omnino adaugere valent; remediis supra dictis adjungenda sunt, ut oleum terebinth. ad 3j cum levibus aetheris acetidosisbus. —

In catameniis quacunque ex causa praeter affectiones inflammatorias suppressis, et urinarum acrimonia fortasse prae-dominante oleum terebinth. potissimum valet. Si haemorrhoides adfuere, tum loco olei terebinthinati extractum aloës aquosum ad gr. ij—iij addendum, dosi paullatim adaucta. Magnae quoque utilitatis erit, oleum lini sulphurati propinare, praesertim aegris illis, in quibus scirrus ventriculi ex exanthematibus repercussis progenitus est, potissimum in scabie.

Diaetam hisce medicaminibus conformem esse oportet; hinc portiones minores ciborum digestu facilium frequentius porrigendae, ova sorbilia, carnes gallinae, juscula cancerorum; vina edentula, generosiora, hungarica, gallica, hispanica, lusitanica (Madeira) aut cerevisia bene fermentata etc.

Sub curae finem remedia amara pura, ut extr. cort. aurant., gentian., trifol. fibrin., in aquis aromat., ut in aq. foenicul., juniper., menth. crisp., piperit., cinnamom. soluta, cum levibus naphthae dosibus administranda sunt.

Morbi primarii, si licuit, restituti in loco, quem prius occupavere, retinendi et tandem methodo convenienti, sero tamen, rite sanandi sunt. Sed ubi primum periodus hujus morbi secunda intravit, perfecta sanitas exspectatur frustra. Methodus resolvens, tam crebro commendata, nihil prodest, quin potius aegrum, viribus hac methodo sensim exhaustis, crebrius morti tradit. Hac in periodo est indicatio lenire miseriam, dolores igitur ventriculi ardentes, cibis assumptis aductos imminuere, viresque vitales collabentes erigere et sustentare, ut aegri vita, quantum licet, protrahatur. Huc spectat praeter victum convenientem, alvo non clausa, in primis opium; sed alvo clausa, quae fere semper obstructa,

praestat aqua laurocerasi cum lacte vaccino aut caprino ad gtt. x—xij diluta, cochleari omni trihorio sumendo, una cum extr. chin., chinin. sulph. in dosibus refractis. Accedente vomitu cruento, aqua calcis cum lacte, vel acida diluta vegetabilia porriganter. Si autem tali methodo vires collabuntur et nutritio consueto modo procedere nequit, aliis viis uti nobis necesse est; quare balnea spirituosa et nutrientia, clysmata nutrientia cum jusculis carnis administranda sunt.

C. Indicatio exituum remedia iisdem convenientia requirit.

L I T E R A T U R A.

Bell system of dissections.

Frank de curandis hominum morbis. B. V. 2. p. 391 et B. VI
P. II. p. 60.

Haller opusc. pathol. observat. 26 (ex abusu acidorum)

Morgagni de sed. et causis morbor. Ep. XXX art. 2. XIX art.
58. XXIX art. 6. 12, 14. XXXIX art. 26. LXX art. 5.

Stoll ratio med. T. 1. p. 212.

Petzold, opera. (Dresd. 1787)

Rahn. Briefwechsel 2 Samml.

Wichmann, Ideen z. Diagnostik.

Chardel (Paris 1808).

René Pras. (übers. v. Balling.)

Baumgärtner's Krankenphysiognomik Bld. 45.

V E T A

Ego JULIUS HERSCHEL anno hujus saeculi XVIII
die XXXI mensis Octobris Embricae, oppido rhenano, natus
fideique veteri adscriptus sum, patre SIMONE et matre
MINNA, e gente MEYER. Primis literarum rudimentis
imbutus, progymnasium Crefeldense, rectore Ill. A. REIN, viro
quam maxime de me merito, florens, tres per annos frequentavi,
quo relicto Gymnasium Duisburgense, quod tum Ill. LAND-
FERMANN directore florebat, petii, ubi per annos duos et
dimidium commoratus, cum testimonio maturitatis dimissus, sub
finem mensis Octobris anni XXXIX h. s. ad hanc almam
literarum sedem Fridericam-Guilelmam Berolinensem me con-
tuli, ibique a rectore magnifico Ill. TWESTEN in civium
academicorum numerum receptus, apud Ill. HECKER, ordinis
gratiosi medicorum Decanum maxime spectabilem, nomen pro-
fessus sum. Per annos inde duos hasce scholas et philosophi-
cas et medicas audivi:

I. PHILOSOPHICAS.

Cel. BENEKE de logice et psychologia, nec non de morbis
psychicis et philosophia hujus et superioris aevi; Cel. DOVE de

physice experimentali; Ill. KUNTH de botanice; Ill. LICHTENSTEIN de zoologia; Ill. ROSE de mineralogia; Ill. MITSCHERLICH de chemia experimentali; Exp. ISENSEE de anthropologia; Exp. BENARY de Persio poeta; Cel. MICHELET de immortalitate animi.

II. MEDICAS.

III. HECKER de medicinae encyclopaedia et methodologia; III. SCHLEMM de anatomia organorum sensuum, de osteologia; III. MUELLER de anatomia corporis humani, de physiologia, qui una cum III. SCHLEMM in arte cadavera rite secandi dux mihi fuit; Cel. MITSCHERLICH de materia medica; Ill. SCHOENLEIN de pathologia et therapia speciali; Ill. JUENGKEN de chirurgia; Ill. CASPER de arte pharmaca rite praescribendi.

Tempore autumnali anni XLI h. s. universitatem petii Heripolitanam, ubi a rectore magnifico Ill. de LINCK in ci-vium numerum academicorum receptus, nomen decano spectatissimo Ill. MUENZ professus, per duos annos hisce scholis interfui: Ill. MUENZ de anatomia speciali et de anatomia pathologica; Ill. D'OUTREPONT de arte obstetricia; Cel. SCHEELER de zoochemia experimentali, qui in exercitationibus zoolochicis analyticis simul dux mihi fuit; Ill. TEXTOR de operationibus nec non de instrumentis chirurgicis.

Duces mihi fuerunt: Ill. de MARCUS in clinico-medico propaedeutico et practico, Ill. TEXTOR in clinico-chirurgico, Ill. D'OUTREPONT in exercitationibus in phantomate institutis et in clinico obstetricio.

Deinde ad hanc almam musarum sedem reversus ab Ill.
LACHMANN, rectore magnifico, civium academicorum numero
adscriptus, nomen dedi apud Ill. **BUSCH**, decanum maxime
spectabilem.

Exercitationes clinicas duce Cel. **TRUESTEDT** adeo.

Viris his omnibus summopere de me meritis gratias ago
semperque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico,
nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dis-
sertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et
chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

- 1. Morbus est discessio et forma et functione a statu individui normali.**
 - 2. Morbi haereditarii plerumque in mutatione germinis ovarii nituntur.**
 - 3. Frigus febrile affectionem indicat medullae spinalis.**
 - 4. Cutis externa et pulmones unum idque arcte inter se coniunctum systema constituunt.**
 - 5. Vires sic dictae physicae etiam in organismo vivo vim suam et efficacitatem obtinent.**
-

... e' stato di grande utilità per la mia ricerca. Sono quindi
stato molto contento di ricevere il libro di M. G. Iannini
che mi ha dato una bella idea della storia del cinema
italiano. Sono stato molto interessato a leggerlo perché
è stato scritto da un autore che ha fatto molto per la
diffusione del cinema italiano all'estero. Il libro è molto
interessante e ben documentato. Mi ha dato una buona
visione dell'evoluzione del cinema italiano nel corso degli anni.

Aspettavo con impazienza questo libro.